



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

II. De Sacrificio. Pro his Sacrificium offerre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

concedi non potest. V. Sa. V. *Residentia num. 8.*

33. Non residentem, sine iusta causa, non facere fructus suos, Conc. Trid. *l. c.* decretum est restituere debere, ante condemnationem, affirmant, & vere Val. Sa. *l. ca.* & alij, contra Nau. Restitutionem huiusmodi, diuino quoque, & naturali iure præscriptam esse, docet, loco citato, Valentia; nec abnuet Caranza.

Parochos, per duos primos menses, sine licentia Episcopi, abesse posse, affirmat Nau. *cap. 25. n. 121.* negat Lessius, *loco citato.* De residentia Pastorum egregie Franciscus Turrianus vir doctissimus. De irregularitatibus non residentium in proprijs Ecclesijs, Alphonsus Viualdus *cap. 8.* Supplementi ad Candelabrum Aur.

35. De restitutione, ob horas canonicas non recitatas Petrus Aragon. *de Inst. q. 83. a. 13.* Petrus Nau. *li. 2. ca. 2. de Restit. n. 180.* Greg. de Val. *tit. 3. D. 6. qu. 2. q. 10. in fine.*

Parochum non Sacerdotem, à die collati beneficij Nauar. à die possessionis obtentæ. Flam. Parrisius, & Azor. *tom. 1. libr. 10. c. 4. mor.* Inst. horarias preces persolvere debere, arbitrantur.

CAPUT II.

DE SACRIFICIO

S V M M A R I V M.

1. *An Cur. sacrificet pro populo.*
2. *Curatus quoties sacrificet.*
3. *Aliter ordinatio, aliter præceptum obligat.*
4. *An Cur. applicet Missam, & cui.*
5. *An Curatus possit facere celebrare per alium.*

6. *Cur.*

6. Cur. raro celebrans, an excusetur.
7. An Cur. bis celebret eodem die.
8. Curatus quantum expectabit pro dicenda Missa.
9. An celebret sine Ministro, & quando.
10. An interrumpenda Missa, & reassumendo.
11. An interrumpenda sit Missa, & discedendum ab altari.
12. Quid aget Cur. quando post Can. interrumpat Missam.
13. An possit supersedere in Missa.
14. Pœna Missam interrumpentis.
15. An Cur. excommunicatus stans in altari possit confiteri.
16. An Missa dicenda non dicto Matut.
17. Rubrica Missalis an sub mort. obseruanda.
18. Curatus cum non possit legere. Carract.
19. Curatus quantum dat celebranti pro se.
20. An Curatus det pitantias diminutas alijs.
21. Curatus diues an possit accipere stipendium pro dicenda Missa.
22. An Cur. possit transferre in alium diem data stipendia.
23. An possit celebrare pro minima stipe.
24. An Curatus pauper possit plura stipendia accipere pro uno sacrif.
25. An Curatus possit accipere plus solito pro dicenda Missa.
26. An possit admitti Sacerdos ignotus.
27. An particula consecranda sint.
28. Sacerdos consecrans minores particulas quibus sint infirmi communicandi.
29. Quæ Cur. denunciet ex altari.

30. An detectio vitij vagabundi licita.
31. Denuntiatio si iubeatur sit per scripturam.
32. An Curatus obediat Episcopo sub mortali.
33. Munditia rerum sacrarum.
34. Corporale quomodo conseruatur mundum.
35. Calix quomodo mundetur.
36. Missas insolitas fugiat Curatus.
37. Non benedicat Cur. vestes sacras.
38. Notandum circa vestes sacras.
39. An eat ad altare cum baculo.
40. Indecentiam in gestu euitet.
41. Cum cantator Passio an Sacerdos teneatur recitare totum.
42. Si Sacerdos in die Natiuit. sumpserit post primam. vel secundam Missam.
43. Cum Sacerdos non possit Missam cœptam perficere.
44. Si inter Sacrificandum Eccles. polluetur.

1. **Q**VÆST. An Curatus teneatur sacrificare pro populo?

RESP. Teneri de iure Diuino. Cum præcepto diuino (ait Conc. Trident. sess. 23. capit. de reform.) [mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.]

Aduertendum tamen in aliquibus Curis, esse etiam Collegiatam, & penes Curatum esse administrationem Sacramentorum, onus verò celebrandi apud Capitulum, tunc cum Capitulum succedat in onere celebrandi, Curatus erit liber, & Capitulum tenebitur celebrare.

2. **Q**VÆST. Quoties Curatus teneatur sacrificare?

RESP

RESP. Sermonem esse, quando de nulla obligatione per tabulas Ecclesie constat, & dico in iure non esse determinatum ex Nauarr. *cap. 25. numer. 134* Tamen Concil. Trid. *session. 23. cap. 14. de reform.* ait; *Curet Episcopus, ut ij* (loquitur de Sacerdotibus) *saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus: si autem Curam animarum habuerint; tam frequenter, ut suo muneri satisficiant, Missas celebrent.* Igitur tenebitur celebrare quoties necessarium fuerit populo, quod erit omnibus diebus Festis: quoties danda est benedictione nuptialis, quæ datur cum Missa; quoties est consuetudo sepeliendi mortuum cum Missa, & hoc sub mortali, quia deficit in re graui [Non celebrare verò secundum consuetudinem Curatorum eiusdem loci, non credo obligare sub mortali, quia consuetudo, quæ dependet à mera liberalitate, qualis est hæc non obligat. Rebellus de obligationibus *p. 1. libr. 1. quest. 5. nu. 27.* & omnes. Verum est tamen, quod si Episcopus modum præscripserit, Curatus tenebitur obedire Sot. *de Iust. libr. 9. quest. 3. ar. 1.* & hoc sub mortali. Nauarr. *capit 25. numer. 88.* Henr. *lib. 9. c. 23. num. 2. glos. G.*

Sed aduertendum, An sit Episcopi ordinatio vel præceptum, quia præceptum obligabit, ordinatio verò non item sub mortali.

3. QVÆST. *An Curatus, vel Capitulum, quod stat loco Curati, ut est dictum nu. 1. teneatur applicare Missam populo, quando de nulla obligatione constat?*

RESP. Sotum *de iust. libr. 9. quest. 3. articul. 1.* in medio dicere, cum teneri ad celebrandum quoties

quotidie, si redditus aliter sint sufficientes ad ipsum alendum, sin. ter, vel quater in hebdomada, pro qualitate reddituum ad iudicium Episcopi. Tol. vero *Inst. li. 5. c. 5.* ait sufficere, si celebret diebus Dominicis & Festis, & aliquot etiam ex diebus alijs, & tunc secundum opinionem Doctorum tenetur applicare populo Missam. Sed quia est aliud teneri ad dicendum Missam, ut eam audiant parochiani, aliud verò teneri ad offerendum pro ipsis, & ex vno aliud non infertur, melius est, quod concludit Francis. Suarez *tomo 3. disp. 86. sec. 1.* Nullam in hoc certam regulam dari posse, sed consulendam esse consuetudinem, aut si de ea nihil certi constat, Episcopum debere in hoc certum aliquid statuere, quod si hoc non faciat, prudenti arbitrio parochi relinquendum. [Nunquam tamen credo ad hoc obligatum sub mortali, cum non constet de tali obligatione, vel per tabulas Ecclesiae, vel præceptum. Episcopi, quia in præiudicium tertij non est inducenda obligatio, nisi per claras probationes, quales non sunt hic, sed sint potius coniecturæ, licet rationabiles.

4. *QVÆST. Quando Curatus tenetur celebrare, an possit facere celebrare per alium?*

RESP. Posse qui nullibi contrarium prohibetur: intellige pro vna, aut altera vice, quia si hoc esset ad longum tempus, & ad otium, non credo excusaretur, iuxta dicta *cap. 1. n. 10. & 11.*

An verò Curatus, qui per alium facit celebrare quoties opus est, possit ipse celebrare solum quoties tenetur alius quilibet Sacerdos non Curatus, nec aliqua obligatione adstrictus?

B

RESP.

RESP. Nauarr. cap. 25. nu. 88. & Azor. 1. p. libr. 10. cap. 24. qu. 1. ult. quæsit. Excusare à mortali obligatione tenetur, dummodo sit sine scandalo. Alioquin vix potest esse sine scandalo in Curato residere quia si non sederit, videtur inesse minor causa scandali.

5. QVÆST. An Curatus possit bis celebrare eadem die ingruente necessitate, etiam non sumptibus purificatione, per casus recensitos à Summistis. Sil. Missa. 1. q. 7. Nauar. cap. 25. numer. 87. So. in dist. 13. quæst. 2. ar. 2. argum. 3. & alijs, & an possit auctoritate propria, stante tali necessitate?

RESP. Solum ibi docere non esse in usu pluribus eadem die celebrare, nisi in Die Natalis Domini, & quando Curatus habet duas Ecclesias, quibus vterque populus solet habere suam Missam. De Graff. 1. p. lib. 2. c. 40. num. 3. tenet cum Sor. Azor. item 1. p. Inst. libr. 10. c. 23. q. 8. & addit posse præterea bis celebrare, cum sepeliendus est mortuus, qui sine Missa non sepelitur, puta quia consuetudo, & præterea etiã in omnibus casibus recensitis à Summistis, vbi est raritas Sacerdotum, maximè si accedat Episcopi consilium, Creditur dicendum, Tunc posse dici duas Missas, quando ibi sit talis consuetudo, quod si nulla sit consuetudo, non dicerem, nisi consulto Episcopo. Ratio est, quia ista sunt iuris positiui, & in illis consuetudo dat, & tollit iurisdictionem, & casus numerati à Summistis in desuetudinem abierunt.

6. QVÆST. An Curatus teneatur manere ieiunius usque ad horam congruentem celebrandi?

RESP. Sil. Sacerdos num. 2. Armil. ibi affirmat.

Cred

Credo distinguendum. Debere manere, cum est verisimile futurum casum, per quem debeat celebrare, puta quia quis agonizat, & in illo loco statim à morte, si sit hora competens, celebrare faciunt pro mortuo. Cum danda est benedictio nuptialis, quæ datur cum Missa. Cum communicandus sit infirmus, & non adsint particulae, nisi consecrentur à parocho. Sed iste vltimus casus de raro potest contingere, cum in Curatis communiter particulae conferuntur pro viatico. Item tenetur manere ieiunus vsque ad horam ordinariam loci pro Missa, & hoc in diebus Festis, maximè in villis vbi necesse est expectare parochianos suos venientes ad Missam. Intellige omnia, quando Curatus est solus in loco, & non habet alium, per quem possit necessitati facere satis.

7. *QVÆST. An Curatus possit sine ministro celebrare?*

RESP. AZOR. 1. p. li. 20. c. 29. qu. 3. posse cum grauis necessitas premat, & citat gloss. communi cōsensu probatā. [Grauis autem necessitas credo erit, quando ipse tenebitur celebrare, vt est dictū nu. 2. Si verò Curatus sit in loco, vbi nullum ministrum habeat, qui respondere sciat, & celebret absque necessitate, dummodo habet, qui vrceolos ministret, & sit mas, non fœmina, poterit ipse sibi respōdere. Sil. miss. 1. quæst. 2 no. 2. So. distinet. 13. quæst. 2. ar. 5. colum. ante finem. Azor. cap. dict. qu. 2. & tam Sotus, quàm Azor. non admittunt fœminam, etiam in necessitate. Videtur autem, quod possit sibi respondere, nam rub. Missalis recogniti à Clemente VIII. cap 4. ritus

B 2

seruan-

seruandi in Missa habet, si minister, vel qui inter sunt celebranti non respondeant ad Kyrie eleison, ipse solus nouies dicat, & cum quæ dicuntur de Kyrie eleison, possunt etiam intelligi de Psal. *Iudica me Deus*, & c. & de alijs, quia omnium eadem ratio, tunc videtur dicendum ut supra. Et si adsit, qui sciat respondere, sed non valeat ministrare vrceolos propter chiragram, vel aliud impedimentum, ipse Curatus poterit ministrare. Deducitur ex Henriq. *libr. 9. cap. 3. nu. 5.* qui hoc concepit, quando cœpta Missa, per eum qui ministrabat discessit, puta ut quæreret vinum, vel aliud, & expectatus per aliquam moram rationabilem non reuertitur; nam in vtraque casu par est ratio sibi ministrandi, consuetudinem tamen pro viribus ab hoc abstinere, & non condemnarem de peccato Curatum, qui ita, etiam sæpè ageret, dum esset in loco, in quo non adesset aliquis qui sciret respondere, nec alium posset haberi, quia rectè posset dici istam necessitatem non habere legem: Et Suarez *tom. 3. quaest. 83. disp. 88. sect. 2. in fin.* in defectum ministrantis scientis respondere docet, Sacerdotem posse perire dicendo, quæ veniunt respondenda, & ministrum sequi recitando verba Sacerdotis.] Et quis habeat ministrum, qui malè respondeat, puta multa in notabili parte omittat, vel corruptè proferat, celebret, & non curet, quia cum error iste frequens, maximè inter idiotas, haud nus de illo dubitantes non vidi.

8. QVÆST. *An Curatus possit interrumpi Missam?*

RESP. Missam interrumpi, assumatur, quando

dicta Epistola aduenit Episcopus, vel Princeps, qui vult Missam. Azor. 1. lib. 10. cap. 32. quæst. 3. At Henriq. lib. 9. cap. 30. num. 3. extendit etiam dicto Euangelio, & quando etiam aduenit multitudo iter faciens. Quanti verò faciant multitudinem, credo non esse scrupulosè opinandum. Pro decem ego reassumerem, cum nulla iniuria fiat Sacramento: & credo tuto posse reassumi ab offertorio citra. Ratio est, quia quæ præcedunt offertorium, non sunt de necessitate sacrificij quod constat offertorio, consecratione & consumptione. Et intra dictū locum poterit reassumi toties quoties adfuerit, vel superuenerit causa excusans, vt est dictum, quia stante dicta causa iusta, semper iustus erit effectus. Sed ad hoc necessaria prudentia, & non reassumerem vltra primam vicem, nisi causa superueniens esset maior prima aliàs vix cessaret scandalum, aut ad minus admiratio, & ab vtroque pro viribus cauendum.

9. *QVÆST. An interrumpenda vnquam Missa, & discedendum ab Altari, puta, pro confessione morientis, vel pro baptizando puero moriente?*

RESP. Tentanda prius omnia, ne discedatur ab Altari. Si Sacerdos est ante canonem, potest discedere, rubri. Miss. de defectibus in ministerio occurrentibus. Si est post canonem non debet interrumpere Azor. 1. p. libr. 10. cap. 32. quæst. 1. qui vocat hanc opinionem communem. Tol. verò inst. lib. 2. cap. 9. num. 9. concedit Missam posse interrumpi, quando verisimile est Sacerdotem occidendum, si voluerit eā perficere, puta hoste

inuadente urbem, Ecclesia ruente, & similibus. Consulerem vt tamen, Curatum, antequam discederet, admoneret populum de necessaria causa discessus, ne scandalizaretur, vel grauiter admiraretur.

In isto tamen casu hostis, vel periculi, potest statim Sacerdos se communicare, relictis reliquis, & discedere. Quod si hoc non potest, poterit discedere, & ferre Sacramentum in corporali; Quod si nec hoc potest, discedat. Tolet. *ibi*. Sed & si fuerit aggressus, poterit defendere, cū moderamine inculpatae tutelae, & si non excedendo dictum moderamen, occideret aggressorem, deberet Missam perficere, siue esset ante, siue post consecrationem.

IO. QVÆST. *An Missa possit interrumpi supersedendo, & non discedendo ab Altari. Verbi gratia incipere eam hora competentis, & dicta Epistola expectare ad aliquas horas venientem, & cum venerit perficere eam?*

RESP. non posse, quia Missa est dicenda continuata, & non potest interrumpi, nisi vt est dictum *superiori*. Qui verò supersederet ad breue tempus, non credo peccaret, ratione paruitatis actus. Interrumpitur autem quando in Missa habetur Concio.

II. QVÆST. *Qua pœna sit interrumpentis Missam*

RESP. Si ante offertorium interrumpitur, vt res assumatur, nullum peccatum, quia permissum. Si interrumpatur sine causa, peccatum esse mortale, & interrumpentem posse excommunicari. Idem si interrumpatur post canonem, sine causis excusantibus, vt est dictum *n. 12.* & talis potest

rest excommunicari, licet non sit excommuni-
catus, ut quidam volunt. Azor. 1. p. li. 10. cap. 32.
quaest. 1. & 2. Sed Henriq. li. 9. ca. 26. nu. 3 gloss. 2.
vult esse suspensum.

12. QVAEST. *An Curatus, qui ad Altare rec or-
datur se excommunicatum, vel in mortali, debeat
vocare confessarium. cum eum habere possit, & cõ-
fiteri, cum id sine infamia possit, ut in missa can-
tata euenire potest?*

RESP. Sil. Euch. 2. quaest. 7. affirmare, De Craff.
1. p. li. 1. ca. 12. nu. 8. dicit debere vocare confes-
sarium, Henriq. autem lib. 8. cap. 46. num. 3. ne-
gat, quamuis commodè, & sine scandalo possit
vocare. Ratio est, quia Conc. Trident. sess. 3. c. 7.
ait teneri ad confitendum huiusmodi, quàm pri-
mum potest percepta communionem, & non di-
stinguit, si possit, vel non possit tunc habere co-
piam confessarij. Cùm qua contritione Curatus
in mortali, & quoties celebret: vide c. 5. num. 39.

13. QVAEST. *An Curatus possit dicere Missam
non dicto matutino?*

RESP. Cum vrget causa posse, puta, quia pul-
sata campana, recordatur se non dixisse matuti-
num, cum magnus vir aduenit volens Missam,
cum sepeliendus est mortuus, qui petit Missam,
& cum adest omnis alia rationabilis causa, quæ
reducitur ad necessitatem. Sil. mis. 1. q. 6. no. 4.
Azor. Inst. lib. 10. c. 28. q. 17. 1. par.

An hoc idem, possit causa nulla urgente?

RESP. So. dist. 13. quaest. 2. ar. 2. in fine, & de iust.
lib. 10. quaest. 5. ar. 4. concl. 1. affirmare, alios verò
negare, sed nec habent improbabilem opi-

nionem Soti. *Rubric. miss. Pij V. habet Missa dicatur saltem dicto matutino, At Missale recognitum à Clem. VIII. habet saltem matutinum cum laudibus absolutum.* [Cum tamen Curatus non sit suæ libertatis, & possit illi sæpè contingere casus vt pro quo debeat celebrare expectare sit illi odiosum, si sapiens, credo illud rectius acturum, si in sero præcedenti, dixerit matutinum.

An verò non obseruare rubricas Missalis peccatum, Azor. *1. p. lib. 10. c. 29. q. 6.* ait ex rubricis non posse aliquid certi statuere: affert tamen duas opiniones, vnã affirmantem esse mortale, alteram negantem. Suarez verò *tom. 3. quaest. 83. sect. 3. in fine*, vult esse mortale: quia in Bulla Pij V. Missalis habeatur Mandantes, & strictè virtute sanctæ obedientiæ præcipientes: Et Concil. Trident. *sess. 22. cap. de obseruandis in celebratione Missarum* præcipiat idem, sed Suarez specificat esse mortale cum additur aliquid notabile; maximè si addatur in his, quæ publicè dicuntur, & periculosius esse addere, quam omittere. At Bulla Pij V. & locus Concil. præcipiunt prælatis; Tutior est sententia Suarez, sed non improbabilis contraria negans ista sub præcepto proponi.

14. *QVÆST. An Curatus, qui propter impedimentum temporaneum, vel etiam perpetuum, putat quia non potest legere officium, eò quod habeat caracteres paruos, sed non impeditur legere in Missali habenti caracteres grandiores, an possit dicere Missam absque quod dixerit officium?*

RESP. Affirmare So. de iust. li. 10. q. 5. ar. 4. Cõc.

Azor

Azor. *Inst. p. 1. lib. 10. cap. 28. q. 18. Tol. Inst. lib. 2. c. 14. nu. 2.*

15. QVÆST. *Qua hora ante diem possit Curatus dicere Missam pro communicando infirmo, vide c. 8. nu. 28.*

16. QVÆST. *An Curatus, qui facit per alium celebrare teneatur dare stipem pro ratione reddituum beneficij?*

RESP. *negatiuè Henrique lib. 9. cap. 22. sed sufficere si det secundum consuetudinem loci*

17. QVÆST. *An Curatus, qui habet multas pstantias distribuendas pro Missis, possit, de illis diminutis, aliquid sibi retinere?*

RESP. *Sot. de iust. li. 9. q. 3. ar. 1. Nau. c. 25. nu. 91. not. 24. concedere, dummodo iustum stipendium detur mercenario. Istum autem tunc est, cū datur secundum consuetudinem loci. Suarez. to. 3. q. 83. disp. 86. sect. 2. At ego consulerem abstinendum, quia habent nescio quid negotiationis vel certè sordiditatis: excusarem tamen, si ita esset consuetudo scita, & tolerata, vt potest esse in aliquibus Ecclesijs, in quibus fit magnus concursus Missarum dicendarum, vt euenit, vbi sunt aliqua sanctorū imagines miraculosæ, vel vbi, propter populi deuotionem, magnus est concursus.*

18. QVÆST. *An Curatus diues ex beneficio, vel patrimonio possit accipere stipendium pro dicenda Missa ad alterius nutum, eo die, quo non obligatur pro suis, vel alijs offerri?*

RESP. *So. de iust. lib. 9. qu. 6. ar. 5. Nau. cap. 23. num. 101. no. 9. & citati à Suarez to. 3. qu. 83. disp. 86. sect. 3. posse: imò etiam posse pacisci, ac si nihil haberet, quod negare sine causa Caietanum,*

& Nau. Suarez ibi affirmat. Ab hoc tamen abstinendum, quia vix potest esse sine scandalo. *So. ibi.*

19. *QVAEST. An Curatus possit stipendium accipere pro ea Missa, quam alteri applicare tenetur?*

RESP. Suarez *qu. dist. sect. 3. in probat. 3. conch.* posse, cum parochi sciant Curati obligationem & ea non obstante, ita à Curato exigunt Et non solum Curatus hoc licite recipiet à suis, sed etiam ab externis. Porro parochi sufficienter dicentur scire Curati obligationem, si communiter de ea re sit notitia in Parochia, vel Episcopus per publicum mandatum obligationem præscripserit.

20. *QVAEST. An Curatus, accepto stipendio die quo possit sacrum facere pro solo dante possit sacrificium transferre in alium diem, in quo teneatur pro alio offerre, & eodem sacrificio satisfacere utrisque cum dans sciat Curatum obligatum aliquoties in hebdomada offerre pro alijs?*

RESP. Si non constiterit clarè dantem velle sibi, & alteri eodem sacrificio satisfieri, teneri Curatum celebrare die non impedito. Ratio est quia ex communi omnium hominum sententia, qui dat, intelligit accipere vtilius; quò potest beneficium, cuius causa dat. At vtilius est pro vno celebrare, quam pro duobus simul. Si tamen Curatus aperiat danti onus suum, & dans voluntariè acquiescat, poterit Curatus eodem sacrificio satisfacere danti, & obligationi sui officij. Porro notet Curatus clarè onus suum aperire; & si ita declarato dans acquiescat, tutò aget sacrificando pro duobus. Dicere autem, orabo pro

tè,

tè, cum idiota sit, non est oratio concedens? Curato vnico sacrificio satisfacere duabus obligationibus, quia hoc non explicat facturum sacrū pro illo solo cui dicta verba profert iuxta dantis intelligentiam.

21. *QVAEST. An Curatus diues teneatur dicere Missam pro solo dante stipem, cum est diminuta, & non iuxta consuetudinem loci?*

RESP. Non teneri, quia cum stipendium non sit iustum, nec Curatus de iustitia tenebitur, melius est tamen celebrare.

22. *QVAEST. An Curatus pauper possit pro vnico sacrificio accipere duo iusta stipendia?*

RESP. Non posse. Suarez *qu. d. disp. 86. sect. 4.* poterit tamen accipere duo, & plura stipendia, quæ simul sumpta non excedant vnicum iustum stipendium, nisi voluntariè promiserit totum sacrificium donanti vnum illorum stipendiorum diminutorum Suarez *ibi.*

23. *QVAEST. An Curatus possit accipere pro discenda Missa stipendium maius solito iusto?*

RESP. Posse etiam si sit diues, dūmodo nō petatur, & largitio sit omnino libera: accipiens potest credere, quod superfluit, liberè dari, sciente donante, quale stipendiū sit iustū, & ordinarium.

24. *QVAEST. An Curatus in sua Ecclesia admittat Sacerdotem ignotum ad celebrandum, sine literis commendatitijs sui Episcopi?*

RESP. Conc. Trid. *sess. 23. ca. 16. de reform.* dicere. Non admittantur ad celebrandum ignoti, sine literis sui Ordinarij. Sic posset practicari, obseruare cōstitutiones proprij Episcopi, quæ si nō adsunt, & tales admittūtur, possunt admitti, ma-

ximè celebrantes ex deuotione: quia in istis vicis quicquam mali posset inesse. Si verò celebrantes volentes quærunt stipem, ego non admitterem nisi de licentia Episcopi, vel Vicarij.

25. *QVÆST. An quando consecranda sunt particula debeant ad offertorium cum Hostia offerri, an sufficiat eas consecrare, absque quòd offerantur?*

RESP. Et dico vidisse offerri, & non offerri, si vis esse offerendas, credo sufficere si sint in altari tempore offertorij, cum animo eas consecrandi suo tempore.

Rubrica verò Missalis Clem. VIII. de defectibus occurrentibus celebrationi, c. 3 nu. 4. vult omnino faciendam oblationem, vel realem, vel saltem mente conceptam, quando prosequens fit Missa post defectum compertum in materia. At potest concordari, oblationem non esse de essentia sacrificij, vt vult Suarez, sed de integritate, vt dicit Rubrica Missalis. Rubrica Missalis tutior.

26. *QVÆST. Si sacerdos celebret, vt multos communicet infirmos; & ante consecrationem aduenit, particulas non esse numero sufficientes; nec sufficienter posse provideri communioni singulorum per partes earundem; an tunc possit curare adferri nouas particulas ad sufficientiam, & eas consecrare, absque offertorio?*

RESP. posse cum secundum Suarez tom. 3. qu. 83. disp. 75. sect. 3. illa oblatio non sit de essentia, tamen tutius est, eas iterum offerre solas; decen-
tius verò offerre oblatione mente concepta.

Nota tamè propter difficultatem contingen-
tem

rem in collectione fragmentorum dum locantur super corporale, melius esse particulas ponere in pyxide, etiam cum consecratis, & tempore consecrationis dirigere intentionem super non consecratas. Si tamen ira semper egeris, periculum est, ne antiqua fragmenta corrumpantur, dum nunquam reuouantur. Igitur potest fieri, ut est dictum rarò, & cum cautela, ne fragmenta inueteralcant.

27. *QVÆST. Quomodo se habeat curatus in denunciandis ex altari?*

RESP. Denuncianda esse in duplici differentia. Quædam enim denunciat absque alia licentia, seu iussione, & quædam non debet denunciare absque Episcopi licentia.

Quæ denunciat absque licentia, sunt item in duplici differentia. Quædam enim tenetur denunciare, ut dies festos, matrimonia celebranda, & dies ieiuniorum. [Et deficiendo in istis, credo peccare mortaliter, quia deficit in re graui, quæ sub mortali populus tenetur scire.] Alia denunciat sine iussione, sed non tenetur, ut res amissas, seu inuentas; Desideria pia particularium, puta quod quidam velit fabricare in Ecclesia, si populus adiuuet, & similia. In quibus bonum est, parochum esse facilem, dummodo nimia denunciatio similium, non reddat officium contemptibile: [Ideò prudens arbitrabitur; deficiendo verò citra damnum verisimile tertij, non peccabit plusquam venialiter, cum omnia sint de materia leui: si verò ex denunciatione omissa verisimile sit damnum graue sequutum tertio, (quod de rarò potest contingere) erit

mortale, quod bonus, & prudens arbitrabitur.]

Quæ verò non denunciat absque Episcopi licentia sunt, Citationes, & præcepta, & similia judicialia, excommunicationes, & indulgentias etiam Papales. [Ratio est, non quòd similia manantia à Papa robur suum sortiantur à placito Episcopi, sed quòd Episcopus examinet, an sint falsa, & quod talis sit vsus vniuersalis, alioquin multi deceptores pro voto multo agerent. Resignationes beneficiorum. Azor. 2. p. lib. 7. cap. 24. quæst. 8. Quæstuarios etiam non commendat, qui vero sint quæstuarij, vide Sil. quæstuarij. Conc. Trid. sess. 21. c. p. 9. de reformatione. hæc autem intellige cū hac limitatione, si quærent pro suo particulari victu non potes eos prohibere, nec Episcopi vnquam eos prohibent, si verò quærent pro collegio, puta, pro Hospitali, Conuentu aut Ecclesiâ.] Episcopi votum est necessarium, ex Conc. *ibi*: In hoc tamen obserua constitutiones tui Episcopi, quia in quibusdam Episcopatibus admittuntur ad quæstum vtroque modo sine licetia. Et si non prohibueris, dū non habueris aliter in mandatis ab Episcopo, nõ peccabis. In vniuersum tamen alios mendicantes est melius prohibere, quia occasione istorum fideles nõ ita veraciter miserentur indigentibus. Silu. *Quæstuarij per totum*. Si autem aliter habueris in mandatis, iussa exequere, & diligenter caue, quia sæpè videbis quosdam malè ferizatos varia simulatione fideles decipere. Ex hoc genere sunt, qui quærent pro locis ignotis, pro locis valdè remotis, ad quæ nõ est credibile oblata

deferri;

deferri; *Ballarini, Schiani, fuggiti di galera, & Iudei Baptisati Hæretici cōuersi.* & alij varijs nominibus nuncupati, qui quærunt pro redemptione suorum apud Turcas captiuorum. Vide eorum literas commendatitias, quæ si sint confectæ à multis annis, habeas illos suspectos, nam hodie vagabundi hoc modo negotiantur. Nunquam tamen prohibeas, quin victum quærant. Et omnia dicta intelliguntur ita practicanda, vbi non adest Episcopus, nec Vicarius, vt in oppidis, quia in Ciuitatibus relinquenda est Cura Episcopo. [Eodem modo prohibeas, qui mendacio ferunt aliquas imagines deosculandas, sed & obserua constitutiones tui Episcopi. In aliquibus Episcopatibus iubentur Curati huiusmodi ab istis auferre.] An idem agendum sit cum regularibus ex quatuor ordinibus mendicantibus, & alijs eorum priuilegio gaudentibus cum pro religione quærunt, Consule Episcopum, & iussa exequere, si nihil habes contra, bene permittis, dummodo verè sint regulares, non vagabundi.

28. *QVÆST.* Fortè, *an sit peccatum detegere occultum vitium vagabundi, verbi gratia, vagatur quis verè otiosus, an sit peccatum detegere istius simulationem, qua se pauperem fingit?*

RESP. So. *de iust. li. 5. qu. 10. ar. 2. & in medio, & Lessius. de iust. li. 2. c. 11. dubio 10. not. 63.* dicere, quando simulatio est cum damno tertij non posse sine peccato occulte vitium talis aperire. Videtur dicendum; si simulatio sit sine damno tertij, puta, quia iste quærrens verè pauper est, & nequit, nisi ficta paupertate viuere, malū esse eius
simu-

simulationem aperire. Si verò iste quidem pauper, sed potest suo labore viuere, at orio illo torpescit, credo tutè posse detegi. Ratio est, quia isti sunt in causa, vt fideles postea non miserentur verè indigentibus, & ita eos damnificant.

Deinde Conc. Trid. sess. 23 c. 7. de reformatione. habet Magistratus etiam seculares hortantur (loquitur de Concilio) vt eos (id est vagabundos, quales sunt dicti) seuerè coerceant, Concil. non tam strictè ista hortaretur, si essent tolerabilia. Præterea isti sunt pessimi Christiani, blasphemij, ludæ, & vitij peioribus pleni, & diceres inter eos inueniri aliquos, qui sapiant hæresim, fortè non errares, nam & vidi in quadragesima non carentes cibo edere carnes. Ad hæc, sæpè ita fingunt extremam necessitatem vt eos videntes non leuiter credant obligari ad eos succurrendos, & alij multum versantur in accipiti, luctante, & reluctante conscientia, quod non rarè vidi, quòd certè non est leue damnus tertij.

Nota. In omni denunciatione, quæ faciendæ est iussu Episcopi, habendam esse facultatem scriptis, & reponendam ad verificandas denunciationis commissiones, si vnquam opus fuerit.

29. *QVÆST. An quando Episcopus iubet aliquem denunciare, Curatus teneatur obedire sub mortali?*

RESP. Teneri, cum res sint seriæ, & in dubio Curatus debet iudicare eas seriæ, & obedire sub mortali. Sil. obedientia, q. 7.

30. *QVÆST. Qua mundicia Curatus cum vestibus, & instrumentis sacris sacrificabit?*

RESP.

RESP. Nullam mundiciam in seruitio Dei esse, respectu Maiestatis illius sufficientem, à peccato tamen excusabit ea, quæ per Episcopum fuerit approbata, & non est ultra scrupulis vacandum, quia non est credibile Episcopum in hoc deficere. Si nihil decernat, mundicia est sufficiens, qua boni vtuntur. Certe vituperabile, est, habere camisum sordidiorum indusio sordido, corporale sordidius sudario immundo mappas Altaris propria tobalia. At quia sæpè contingit ob paupertatem Ecclesiæ carentis corporalibus, ipsa corporalia vsu nigrescere ex frictione patenæ, dum fragmenta colligantur.

Dum igitur nequiveris munda habere, accipe scissuras illas, quæ supersunt ex hostijs aptatis, & illis frica nigredinem illam, & auferetur. Sed validus operabitur interior pars mollis panis ordinarij. Porrò si scrupulis vrgeris, antè frictionem, poteris super sacrarium excutere corporale, vt si fortè insint fragmenta, decidant in loco mundo. Sed nec hoc necessarium credo, sicuti nec in sacrarium reponere micas illas, quæ ex frictione nigredinis superfuerunt. Poteris, & vti corporali nunc ex vna, nunc ex altera parte inuersa, vt mundum habeas, nec idem scrupulis cedendum, nec pro versione fragmenta, si quæ insint, decidant, quia credo merum scrupulum: nam, & quando lauantur, si fragmenta insint, decidunt, & tamen nullus dicit excutienda prius corporalia in loco mundo.

Potest etiam euenire, vt Calix continuo vsu exterius sordescat, poterit & ita lordes abluere, Laua lixiuio calido, & inde smigmate, deinde
aqua

aqua

aqua pura iterum laua, pone ad solem, vt exsicceretur, deinde panno lineo albo absterge. & erit tanquam nouus. Et hoc sufficit semel in anno.

Caueat Curatus, quando veniunt Missæ in solita expeditione alicuius dicendæ, puta, quæ sunt Missæ, vel de sancto ignoto; vel ad rem, quæ superstitionem sapiat, vt contigit mihi semper: enim quidam certas Missas vnâ pro omnibus in aquis submersis, aliam pro omnibus necatis, aliam pro stultis, & alias quasdam similes: tunc Curatus interroget, & videbit ad superstitionem tendere, sicut accidit mihi: cum enim nouitas rei me afficeret, & interrogassem, quid cuperet tales Missas respondit petens, filius meus, qui est in carcere habeat torturam de qua dubitabat, & ita caruit Missis. Et tu fac similiter.

Caueat etiam Curatus, ne benedicat vestimenta sacras, ne decipiatur, eo quod in Missalibus eorum benedictio reperitur. Imò nec hanc facultatem potest dare Episcopus simplici Sacerdoti: ita mihi respondit Congregatio Rituum, sub illustrissimo Cardinale de Aragonia, Anno 1600. Ita etiam tenet Sil. *benedictio q. 3. Nauar. cap. 2. nu. 84.* Et si reficiendæ essent, caueat ne destruantur, quod primam formam mutant, ita vt destructæ, sint in tali forma, quòd eis non posset in Missa, nam tunc benedictiones amittunt, ita multi Doctores.

Porro quia potest fieri, vt Curatus ruralis multum laboret pro obtinenda benedictione dictorum vestium, cum multum distat ab Episcopo, & tædio illius laboris, vel non resarciat fructum

vel non faciat nouas; quorum alterum si benedictio facile haberetur, non efficeret. Sciendum ordines mendicantes hanc facultatem habere; ut patet ex illorum priuilegijs: totum autem negotium facile euadere; cum regulares mendicantes per castella sint frequentes.

31. *An verò possit Curatus, qui habet planetam nouam, & non potest curare benedici, quia longè distat Episcopus, supponere nouam non benedictam veteri benedicta, vel eam illi insuere, & tunc postquam celebrauerit cum utraque, de noua nouam à veteri separare, & uti noua tanquam benedicta?*

RESP. Me vidisse ita actum, sed qua ratione nescio, hoc vnum scio hactenus non inuenisse simili vsu benedici, & ideo affirmare Curatum non posse agere, ut dicitur, credo tutum.

32. *QVÆST. An Curatus valde debilis possit, sacris vestibus indutus, ire cum baculo ad Altare pro celebratione, cum aliter illo nequeat ire?*

RESP. Tol. Inst. l. i. c. 58, n. 2. Sacerdotem sine baculo non valentem ambulare esse irregularem, durante dicta impossibilitate, idè non debere sic ad Altare accedere: si verò si quidem debilis, sed ægre, sine baculo possit Altari accedere, non esse irregularem. At omnia incommoda superantur, si Curatus se ad Altare sacris vestibus induat, & non refert quomodocunque ad Altare accesserit, dummodo dum est ibi, sine baculo possit officio suo fungi.

Occasione dictorum meminerit Curatus abstinere à portatione baculi in publicis processionibus, à portatione pileoli linei in Ecclesia, dum sacras vestes induit, dum eiisdem indutus in publicum

CUM

cum procedit, à deiectione brachiorum, & à
omni alio simili indecenti gestu.

33. Queret aliquis, quando solet cantari Passio
hebdomada maiori, an celebrans si sit vnus è tra-
bus, qui cantant, teneatur legere totum, an su-
ciat, dicat partem propriam cantatam?

RESP. Henrique in summa affirmare suffice-
fi dicat partem cantatam.

Quod verò rubrica Missalis recogniti p
Clem. VIII. ante passionem Veneris sancti
beat, celebrans legat summissè omnia; nō eu-
cit ad hoc teneri, si fuerit vnus de cantantibus
tamen legerit nihil mali ageret. Et quæ dicitur
tur de die ven. sunt etiam intelligenda de aliis
diebus in quibus recitatur Passio.

34. QVÆST. An Curatus, cui in loco est solus
& in die Nat. Domini sumpsit purificationem
prima, vel secunda Missa, incaute, possit dicere
liam, vel alias Missas eiusdem diei; etiam si non
ieiunus, cum, si non dixerit, sui sint carituri soli
Missis, & causetur scandalum, vt saltem admi-
tio, & ab utroque sit cauendum?

RESP. Non posse Silu. Euch. 3. qu. 6. & be-
scandalum tollitur, si de contingentia populi
admoneatur.

35. QVÆST. An si in Ecclesia Curati aliquis Sa-
cerdos celebrans moriatur, vel morbo impediatur
perficere Missam, captam, peracta iam consecratio-
ne, saltem alterius speciei, an teneatur Curatus
perficere, etiam si non sit ieiunus, cum alius Sac-
dos ibi non adsit?

RESP. Nau. c. 25. nu. 86. affirmare. So. verò dicitur
13. q. 2. ar. 6. vult teneri si adsit scandalum.

Suar

Suarez *to. 3. disp. 85. sect. 1. in fine*, ait teneri non ratione præcepti Ecclesiastici per *ca. 1. quest. 1.* cum nihil ibi habeatur. Censuimus conuenire, vt in eo casu sit liberum alteri Episcopo, vel Presby. consecrationē exequi officij cœpti, &c. Sed eo quod hoc sit rationi consentaneum, cum ad munus sacerdotis pertineat, ne sacrificium maneat imperfectum: dicendum videtur hoc esse certum, posse tale sacrificium perfici etiam à non ieiuno, Omnes. An verò teneatur de præcepto, non concordant Doctores, vt patet ex dictis. Rubrica Missalis de defectibus in ministerio occur. in Missali. Clem. VIII. *ca. 10. nu. 3.* habet per alium, sacerdotem explendam Missam. At per multas rubricas Missalis non obligat ad mortale vt est dictum *n. 16.* ergo nos hæc in hoc casu. Hæc conuenientia rationis Suarez placet, quia canon expresse liberum relinquit, & cum non distinguat, quare distinguemus nos? maxime in materia pœnali, & de re mortali. Valde rationabile videtur Curatum non cogi: sed & valde rationabile est, non relinquere sacrificiū imperfectum, & cum res sit facilis, non est tanta coarctatione, & disputatione digna. Dato autem, quod Curatus velit sacrificium prosequi an teneatur, statim, vel an hoc possit etiam post moram? Resp. Henriq. *lib. 9. de Missa c. 23. gloss.* enim posse eadem, vel sequenti die, Suarez verò, & So. loco dicto, annuunt prosequendum statim, quia habenti si Sacerdos adsit, dum aduenit casus dictus indigens perfectione sacrificij: & hoc tenerem.

36. *QVÆST. Quid agendum, si Ecclesia ex-*
ecre-

creture effusionem sanguinis, vel seminis humani

RESP. Si erat consecrata per Episcopum reconcilietur per Episcopum pro vt in Rubrica. Si verò erat solum benedicta reconciliari potest per simplicem Sacerdotem aqua benedicta ordinaria per eum aspersa, & hoc fieri potest etiam Episcopo non consulto. Azor. 2. par. l. 9. ca. 5. q. 1. At si per tempus vacat, bonum est prius Episcopi beneplacitum expetere.

A. V I C T O R E L L I

AD CAPVT II. NOTÆ.

N Vllum in hoc, &c. placet quidem Doctissimo mi Suarez opinio Parochum in multis Sacramentis offerendis liberalem esse, & tutum est.

7. Casus nonnulli recensetur à Suarez (titul. in 3. par. 5. Thomas disp. 80. sect. 3. sed non admittuntur.

Sacerdos non ieiunus, secundam, eodem die Missam celebrare nequit, etiam si vinum tantum, aut aquam, quæ sumpto sanguine, sumi consuevit, deglutierit, cap. Ex parte de celebr. Miss.

Plurium Parochiarum casum, tantummodum in vsu esse, scribit Suarez, & tunc, tres etiam Missas, eodem die, ab eodem Sacerdote, necessitate id postulante, celebrari posse.

9. Fœminas longè absentes ab altari sacerdoti sacrificanti, in necessitate, respondere posse, arbitratu est Suarez (D. 88. sect.) vt Moniales in solèni Missa canendo, respondere cõsueuerunt

16. Matutinis horis nondum recitatis, sacrum facere, lethale peccatum esse, alij aiunt, alij negant. Hos ergo facile sequor, cum Suar. D. 82. Soto; & alijs. V. Comitolum *lib. 1. q. 50. R. mor.* contraria sententia tutior, & quibusdam probabilior: non sane, Soto insigni Theologo.

In vesperis huius diei, vna, vel duabus ante solis obitum horis, matutinas sequentis diei horas recitare potes, iusta de causa; si loci consuetudine hoc receptum. Consule Azor. *to. 1. l. 10. cap 9. mor. Inst.*

19. Iustum Missæ stipendium est id, quod lex statuit, vel consuetudo De qua re Suarez: *tit. 3. in 3. par. S. T. D. 20. sect. 2.*

Sacerdos bonis patrimonialibus diues, promissis iusta stipendia accipere potest: etiam ab Ecclesiasticis: cum eum beneficij titulus ad sacrum, speciali intentione, faciendum non obligat. V. Suarez *li. c. sect. 3.*

Pauper Sacerdos plura iusta stipendia, prout iusta lex, aut communis æstimatio statuit, accipere, iuste nequit; si extremam necessitatem non patiatur. Ex Nau. *c. 25. nu. 9. & Suarez sect. 4. lib. 1.*

C A P V T III.

DE PRÆDICATIONE.

1. Curatus tenetur predicare.
2. Curatus an predicet per se.
3. Quando predicet per alium.
4. An Curatus unquam excusetur à predicando.
5. An